

1562

lio, quo uno ingruentia mala sisti posse censerentur, acri animorum certamine ageretur, ut illius exitum nemo satis propicere posset. His fiebat, ut nonnunquam foedus inter catholicos Principes pro tuenda religione incundum sibi in animum induceret. Qua in re Senatus sententiam, ut fere semper consueverat, exquirit. Gravissimum id negotium erat, ingentibus difficultatibus implicitum, ac laboranti tunc reipublicæ christianæ minime opportunum; cum verendum esset, ne ii, qui a catholica religione dissentirent, ob consociata catholicorum Principum arma arctius inter se conglutinarentur, atque inde in universa christiana republica atrox, & exitiale bellum funesta exordia duceret: neque minus metuendum, ne Italiæ infensa gentes, quibus undique cingeretur, ad eam invadendam, cuius felicitati maxime inviderent, classico excitato, concurrerent; id porro omnium malorum veluti apicem fore. Quæ a Patribus cum altius inspicerentur, Pontifici, ut ab iis consiliis abstineat, suadent: *Ne totius orbis expectatione coetam tanto labore Synodum, ob varios, qui irrepserant, affectus dissolvi sinat; ingens opus summa animorum tranquillitate pertractandum curet: nil religioni exitialiis accidere posse, quam si dissidentibus sententiis abscederetur; nullum dissidiis locum relinquendum, concordi voluntate, ac studiis pro tuenda religione laborandum; libere, quidquid unicuique a divino suppeditaretur Spiritu, emunciandum esse: summopere cendum, ne, Concilio œcumenico dissoluto, in singulis provinciis conventus, ac singularia concilia habeantur, quibus divulsa, ac veluti in diversas partes conscripta religio penitus concideret, ac sententiarum, & dogmatum diversitate teterrimi monstri faciem præferret.* His commotus Pontifex, ea sententia abjecta, totum se ad Concilium contulit, atque animorum æstu, quo res in discrimen adduci posse videbantur, sedato, multa ad firmandam catholicam religionem, consentientibus sententiis, decreta sunt.

Verum complurium ad Ecclesiam reformandam erectis mentibus, ac studiis, mirum in modum Pius commovebatur, ne illustri, ac præclara specie ad pontificiam auctoritatem immuniendam, ac labefactandam uterentur. Qua in re Conimbricæ Episcopus Lusitanus maxime incubuerat, acriterque differuerat;